

Tercia etas mundi

Moyses verus: et omnium prophetarum summus: historiographorum princeps: vir sane mansuetissimus: super omnes gentes populum dei de egiptiaca servitute liberauit. quadraginta annis ipsum in heremo rexit. Ipse enim dilectus deo et hominibus cuius memoria in benedictione extitit. Cui dominus in monte synay gloriam suam ostendere voluit. Dum vidit ignem ardentem et non comburentem. Cum enim moyses pasceret oves ietro soceri sui in deserto apparuit ei deus in rubo ardenti qui tamen non comburebat: precipiens ei ut in egyptum descenderet. ad liberandum populum israel: Iste est Moyses de cuius laude resonant celum et terra. deum vidit facie ad faciem clare quod de nullo alio preterquam de paulo apostolo scriptura testatur in hac fragili carne. Ille in circuncisione: Iste in proprio testimonio de diuina essentia docentes unum verum deum colendum esse.



Iste Aaron moysi frater vir sanctus. et insigni eloquentia ornatus digne summum sacerdotium sibi assumptum et testamentum eternum sibi et filiis suis statuit. filiusque eius Eleazarus in pontificatu succedit. cui prius stolas sacerdotum tradit. Obijt autem anno vite sue. 123. pontificatus vero sui sexto et trigesimo in arabia monte oreb.

Isti tres scilicet ythamar Nadab Abyu cum Eleazaro: fuerunt filii aaron quorum duo Nadab et abyu percussi sunt a deo pro eo quod ignem alienum obtulerunt in tabernaculo et subito concremati sunt.

